AUTHOR:

WIESELER, FRIEDRICH

TITLE:

EMENDATIONES IN SOPHOCLIS ANTIGONAM

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1857


Master Negative #

92-80480-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


888E
Z8
v.5

Wieseler, Friedrich, 1811-1892.
...Emendationes in Sophoclis Antigonam.
Gottingae, typis expressit officina Academica Dieterichiana, 1857.
11 p. 28 x 22 cm.

At head of title: Index scholarum publice et privatim in Academia Georgia Augusta ... habendarum.
Volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½ X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/11/92 INITIALS TM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

20.10

INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE AESTIVUM

ANNI MDCCCLVII.

A DIE XV. APRILIS USQUE AD XV. AUGUSTI

HABENDARUM.



Praemissae sunt Friderici Wieseleri Emendationes in Sophoclis Antigonam.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER.)

Herrn Professor Dr. von Walz
in Tübingen
d. Verf.

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
GUIL. THEOD. KRAUT D.
CUM SENATU.

Sophoclis Antigonae emendandae explicandaeque nostra quoque memoria tot tantique operam dederunt homines docti, ut videri possit actum agere et perdere operam, de illa qui post hos se profitetur scripturum. Quorum quum pars hac alma vitae luce adhuc fruatur, alii mortem obierint, inter illos sine dubio locum tenet principem princeps ille philologorum Augustus Boeckhius, cui quod propediem gratulari licebit summos in philosophia honores ante hos quinquaginta annos in ipsum collatos, impense gaudemus: inter hos non sane infimum Fridericus Guilielmus Schneidewinus, quem anno abhinc praematuro obitu exstinctum nostra lugebat Literarum Universitas. Nihilominus tamen aut in confesso est aut facile potest demonstrari, praestantissimam tragoediam etiam nunc plures habere locos, qui medicina egeant. Ex quibus quum potiores quosdam censu nostro lustrabimus, non poterimus quidem, quin, Schneidewini, utpote qui postremo loco bene meritus sit de Antigona, potissimum rationem habentes, nostram sententiam ab ipsius decretis magis minusve sejungamus; at haec res tantum abfuit, ut nos deterreret ab hac materia tractanda, ut eam ipsam consulto eligeremus, per hanc occasionem pro virili parte celebraturi memoriam ejus viri, qui, quum flagrantissimo harum literarum amore esset imbutus, ea inter paucos excelleret virtute, ut aliorum dissensum non solum ferre posset aequo animo, sed multum adeo amaret eos, qui idoneis de caussis secus statuerent, de dissensu haud celato.

Inter difficiliores fabulae locos merito censetur is, qui legitur Vs. 21 sqq.:

οὐ γὰρ τάφου νῷν τὼ κασιγνήτω Κρέων
τὸν μὲν προτίσας, τὸν δ' ἀτιμάσας ἔχει;
Ἐτεοκλέα μέν, ὡς λέγουσι, σὺν δίκῃ
χρησθεὶς δικαίᾳ καὶ νόμῳ κατὰ χθονὸς
ἔκρυψε, τοῖς ἔνερθεν ἔντιμον νεκροῖς·
τὸν δ' ἀθλίως θανόντα Πολυνείκους νέκυν
ἀστοῖσί φασιν ἐκκεκηρῦχθαι cett.

Verba sunt Antigonae ad Ismenen sororem directa. In quibus quum probe sentiret Schneidewinus neque *ὡς λέγουσι* aptum praebere sensum, neque acquiescendum esse in iis explicandi rationibus, secundum quas construunt aut *χρησθεὶς (αὐτῷ) σὺν δίκῃ δ.* aut *σὺν δίκῃ δ. ἔκρυψε, χρησθεὶς αὐτῇ,* nec denique probabile esse, hunc poetam forma *χρησθεὶς* pro *χρησάμενος* usum esse, eo audaciae progressus est, ut scribendum esse conjiceret:

Ἐτεοκλέα μέν, ᾗ δίκη, κατὰ χθονὸς
ἔκρυψε, τοῖς ἔνερθεν ἔντιμον νεκροῖς,

locum interpolatum ratus a lectore quopiam Euripidis Phoenissarum Vs. 786 sqq. et 1656 haud immemore. At enim vero locus facillima medela in integrum restitui potest haece:

Ἐτεοκλέα μέν, ὡς λέγουσι σὺν δίκῃ,
χρηστὸς δίκαια καὶ νόμῳ cett.

Atque verba *ὡς λέγουσι σὺν δίκῃ* construenda esse, vidit etiam Franciscus Wolfgangus Ullrichius in scriptione de Sophoclis Antigona bonae frugis plena, quam a. 1853 Hamburgi in lucem emisit, p. 52. Quae sic accepta non populi continent judicium, sed ipsius Antigonae, simulque eam vim habent, ut ea, quae inde a Vs. 26 commemorantur, injuste imperata videri Antigonae indigitent. Locutio *χρηστὸς (ὤν)*, «bonum et strenuum se praestans,» quam sit ad sententiam apta, sponte apparet. Denique vix opus est, ut moneamus, vocabulum *δίκαια* adverbiascere et aeque atque *καὶ νόμῳ* cum *ἔκρυψε* esse struendum. Ceterum ei, qui a se impetrare potuerit, ut credat, Sophoclem formam *δικαία* usurpasse pro *δίκῃ*, quae olim Eckermanni erat sententia, illa vocis *δικαίᾳ* mutatione supersedere licebit. Cfr. tamen Lobeck. Paralipom. Gramm. Graec. p. 297 sqq.

Minus quam par erat, opinor, offendebant editores in loco, qui est Vs. 58 sqq.:

νῦν δ' αὖ μόνα δὴ νὼ λελειμμένα σκόπει
ὅσῳ κάκιστ' ὀλούμεθ', εἰ νόμου βίᾳ
ψῆφον τυράννων ἢ κράτη παρέξιμεν.
ἀλλ' ἐννοεῖν χρὴ τοῦτο μέν, γυναῖχ' ὅτι
ἔφυμεν, ὡς πρὸς ἄνδρας οὐ μαχουμένα·
ἔπειτα δ', οὕνεκ' ἀρχόμεσθ' ἐκ κρεισσόνων,
καὶ ταῦτ' ἀκούειν κἄτι τῶνδ' ἀλγίονα.

Versum 60 quum ceteri fere silentio praeterissent, haec adnotavit Schneidewinus: „*ψῆφος ἢ κράτη*, *Spruch* (Befehl) *oder die* bei Erzwingung des Gehorsams angewandte *Obmacht*, mit Bezug auf die beiden aus ihrem Geschlecht und ihrer untergeordneten Stellung hergeleiteten Gründe im Folgenden. (Doch kann Ismene auch meinen, nenne du es *ψῆφος* oder *κράτη*, *gesetzmässige Verordnung* oder *Gebot des Machthabers*).“ Laudo, quod adnotatione opus esse sensit. Ceteroqui non audio. Etenim aut eminenter fallor, aut scripserat hic poeta: *ἐγκρατῆ*. In comparationem vocare aliquis possit verba, quae Antigona Vs. 453 sq. ad Creontem facit:

οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
κηρύγματα,

at satius fuerit relegare ad dictionem *τελείαν ψῆφον*, qua eadem ipsa res significatur Vs. 632. Firmitatis significatio inest in vocabulo *ἐγκρατής* etiam Vs. 474 et 715.

Magis etiam miretur aliquis, intacta relicta esse ab editoribus ad unum omnibus prima verba parodi haecce:

Ἀκτὶς ἀελίου, τὸ κάλλιστον ἑπταπύλῳ φανὲν
Θήβᾳ τῶν προτέρων φάος,
ἐφάνθης ποτ', ὦ χρυσέας ἁμέρας βλέφαρον,
Διρκαίων ὑπὲρ ῥεέθρων μολοῦσα.

Quid enim? Nonne occidentalem partem Thebarum praeterfluebat Dirce? At, si Schneidewinum audis, non curavit hoc poëta. Curaverat tamen, ut par est credere, si scripserat: *ἐπὶ ῥεέθρων*.

Praeterea equidem non dubito, quin in eodem cantico etiam alterum mendum insit nondum observatum. Postquam enim de Capanei interitu dixit Chorus, ita pergit:

εἶχε δ' ἄλλᾳ τὰ μέν,
ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοις ἐπενώμα στυφελίζων μέγας Ἄρης
δεξιόσειρος.

De postremo verbo explicando variis modis statuerunt viri docti. Vulgo id nihil nisi validum socium et adjutorem significare existimant, metaphora ab equo dextro funali impetus pleniore repetita. Scitissime Boeckhius, sentiens, ut videtur, hanc explicationem non adeo aptam esse, animadvertit, simul indigitari etiam *τὸν δεξιὸν Ἄρη*, «Martem propitium et faustum.» Schneidewinus: „als der *παλαίχθων ὃς τὰν πόλιν ποτ' εὐφιλήταν ἔθετο* (Aesch. Sept. 105) heisst Ares *δεξιόσειρος*, weil er am Thebanischen Kriegswagen als zuverlässigster und kräftigster *ἵππος παράσειρος* wirkte. Das Bild lag, zumal den *πολυάρματοι Θηβαῖοι*, nahe, da man treu verbundne Freunde unter dem Bilde eines *ζεῦγος* dachte, wie Aesch. Ag. 850 Odysseus *ζευχθεὶς ἕτοιμος ἦν Ἀγαμέμνονι σειραφόρος*.“ Non mirarer equidem, si poeta aliquem ex ducibus Thebanis Martis *δεξιόσειρον* appellaret; at contraria illa imago vix mihi ac ne vix quidem ferenda videtur. Eduardus Gerhardus, quem honoris caussa nomino, Mythol. Gr. P. I. §. 352, adn. 2, Martem *δεξιόσειρον* appellatum esse credit propterea quod equus inter ipsius symbola fuerit, idque epitheton comparat cum epitheto *ἵππιος*. Ne multa: accedit hoc alterum, quod, quoniam Capaneus inter duces fuerat, poeta non bene potuit dicere, tribuisse Martem sortem aliam „aliis“; sed addere debuit „ducibus“; siquidem nullos alios quam duces intelligi voluit. Voluit autem, ut liquido apparet ex verbis, quae proxime sequuntur:

ἑπτὰ λοχαγοὶ γὰρ ἐφ' ἑπτὰ πύλαις
ταχθέντες ἴσοι πρὸς ἴσους ἔλιπον
Ζηνὶ τροπαίῳ πάγχαλκα τέλη.

Scripserat igitur: *δεξιοσείροις*, vocabulum maxima vi praeditum aptissime in ipso sententiae fine collocans. Opportune Hesychius: *Σειραφόρον· ἡγεμονικόν, μετῆκται δὲ ἀπὸ τῶν δεξιοσείρων ἵππων.*

Vs. 320 Creon Custodem perstringit his verbis:

οἴμ' ὡς λάλημα δῆλον ἐκπεφυκὸς εἶ.

Ad quae hanc glossam adscripsit scholiastes: *Λάλημα τὸ περίτριμμα τῆς ἀγορᾶς, οἷον, πανοῦργος.* Is quum vocabulum *ἄλημα* ad Ajacis Vs. 381 per *τρίμμα* et ad ejusdem fabulae Vs. 389 per *πανούργημα ἢ περίτριμμα* explicuerit, Schneiderus in Lex. Gr. s. v. *ἄλημα* conjecit, hoc vocabulum etiam hoc loco prae oculis fuisse scholiastae. Probavit hanc conjecturam Boeckhius his argumentis: „Vs. 316 (320) ist die Lesart *ἄλημα* einzig richtig: der Wächter ist zwar schwatzhaft, aber nicht gerade hier; hier erscheint er als Spitzfindler, als ein durchtriebener Geselle, worauf auch Vs. 320

(324) *κόμψευε* zielt; und so ist auch erst die Antwort desselben verständlich: „Du erklärst mich zwar für pfiffig: aber an dieser (listigen) That, der Beerdigung des Polyneikes, bin ich dennoch unschuldig.“ Quorum verborum priorem partem fere suam fecit Schneidewinus. Nec sane dubitandum est, quin versutiae in verbis Creontis mentio injecta fuerit. Inerit revera, si pro voce *δῆλον*, quam jam Beckius et Dobraeus de mendo suspectam habuerunt, scripseris: *δολιόν*. Cfr. Euripidis Androm. Vs. 937 sqq.:

κἀγὼ κλύουσα τούςδε Σειρήνων λόγους,
σοφῶν, πανούργων, ποικίλων λαλημάτων,
ἐξηνεμώθην μωρίᾳ,

ubi vocabulum *ποικίλων* ad amussim respondet ei, quo nos Sophoclem usum esse conjecimus. Quod vero existimant, scholiastam scriptum repperisse *ἄλημα*, id ego ut iis, quas Schneiderus attulit, rationibus certo demonstratum sit magnopere vereor. Velim etiam ad id advertas animum, quod scholiasta in explicatione hujus, de quo agimus, loci non simpliciter dixit: *τὸ περίτριμμα*, sed *τὸ περίτριμμα τῆς ἀγορᾶς*, quod posterius magis quadrare videtur ad vocabulum *λάλημα*.

Abiturus Creon Vs. 324 sqq. ad Custodem haec verba facit:

κόμψευε νῦν τὴν δόξαν· εἰ δὲ ταῦτα μὴ
φανεῖτέ μοι τοὺς δρῶντας, ἐξερεῖθ', ὅτι
τὰ δειλὰ κέρδη πημονὰς ἐργάζεται.

Postremo versu libri manuscripti pro *δειλὰ* porrigunt *δεινά*. Illud post Brunckium in textum, quem dicunt, uno consensu receperunt editores. Commendatur autem illa scriptura a scholiasta, cujus haec sunt verba: *Τὰ δεινὰ κέρδη· γρ. τὰ δειλά· ἀντὶ τοῦ κακά· ἀπὸ τοῦ τοὺς δειλοὺς εἶναι ἀχρείους*, agnoscitur ab auctore glossarum, ita scribente: *τὰ δειλά· τα κακὰ καὶ ἀπρεπῆ*, affertur denique pro varia lectione in margine editionis Turnebianae. Haec non prohibent, quominus conjecturam esse censeamus, a docto aliquo lectore factam. Godofredus Hermannus: „*Τὰ δειλὰ κέρδη* dicit, quia ignavi est, lucri caussa clam illicita facere.“ Quam interpretandi rationem secuti sunt alii. Verum enim vero, quis animum inducat ut credat, Creontem eos ignavos vocaturum fuisse, qui sane quidem clam egissent, at tale tamen facinus perpetrare ausi essent, cui gravissimas poenas constitutas scirent. Porro neque id intelligo, cur *ignavum* potius lucrum, quam lucrum omnino poenas procreare dicat, quum praesertim hanc tanquam generalem proferat sententiam. Supra, Vs. 222, revera in hunc modum locutus erat:

καὶ μὴν ὁ μισθός γ' οὗτος. ἀλλ' ὑπ' ἐλπίδων
ἄνδρας τὸ κέρδος πολλάκις διώλεσεν.

Scripserat poeta: *τὰ δῆλα κέρδη*, h. e. „lucrum manifestum factum.“ Ergo indicat atque innuit Creon, si custodes eos, qui Polynicem sepeliverint, ipsi non sint monstraturi, clarum fore, illos ipsos, et lucri quidem cupidine motos, facinus illud perpetravisse.

In notissimo illo carmine, quo Chorus hominis vim et potentiam celebrat, Vs. 354 sqq. ita edere placuit Schneidewino:

καὶ φθέγμα καὶ ἀμερόφρον νόημα καὶ ἀστυνόμους
ὀργὰς ἐδιδάξατο καὶ δυςαύλων
πάγων ἐναίθρεια καὶ
δύςομβρα φεύγειν βέλη.

Libri manuscripti in Vs. 354 praebent: *καὶ ἀνεμόεν φρόνημα*, in Vs. 356: *αἴθρια*. Prioris loci, qui summas hominibus doctis molestias creavit, correctionem a Schneidewino propositam refutare nihil attinet, quamquam satis apparet, esse locum de mendo postulandum. Verba *ἀστυνόμους ὀργὰς* recte interpretantur de sollertia in civitatibus regendis conspicua. Jam, quum praesertim initio orationis videamus mentionem factam, dubium esse vix potest, quin sermo fuerit de eloquentia civili. Eam autem solis verbis *ἀνεμόεν φρόνημα* significari, ut censet Boeckhius, interpretans „die im Lufthauch ausgesprochene Weisheit,“ credibile non est. Sed scripserat poeta, nisi omnia me fallunt: *φθέγμα κατ' ἀνεμόεν φρόνημα*, „orationem congruentem cum celeri motu et volubilitate mentis,“ Atheniensium indolem, ut par erat, imprimis respiciens. — Quod Helmkii conjecturam *ἐναίθρεια* recepit Schneidewinus, bene fecit. In eam ipsam ego jam ante multos annos incideram.

Vs. 381 sqq. Chorus ad Antigonam conversus haec dicit:

τί ποτ'; οὐ δή που σέ γ' ἀπιστοῦσαν
τοῖς βασιλείοις ἀπάγουσι νόμοις
καὶ ἐν ἀφροσύνῃ καθελόντες;

In libris pro *ἀπάγουσιν* reperitur *ἄγουσιν*. Illud debetur Boeckhio, ad apagogen, quae dicebatur, alludi existimanti. Et profecto aut ita scribendum est, aut: *ἀνάγουσι*. Agitur autem haec fabula ante aedes regias in loco edito sitas.

Creonti sic interroganti:

φῂς, ἢ καταρνεῖ μὴ δεδρακέναι τάδε,

Vs. 443 ita respondet Antigona:

καὶ φημὶ δρᾶσαι, κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή.

Ad alterum versum haec adnotavit Schneidewinus: „*καὶ φημί, allerdings bejahe ich,* so dass das erste *καὶ* bestätigend gebraucht ist, wie *etiam*, nicht dem andern parallel.“ Concedo equidem, hoc posterius minus aptum esse. Nescio tamen an scribendum sit: *κατάφημι*, „ajo.“ Huic verbo plane respondet sequens dictio *οὐκ ἀπαρνοῦμαι*, quum idem valeat quod *οὐκ ἀπόφημι*. Nec vero opus esse, ut, quoniam Creon in interrogatione verbo *φημὶ* usus sit, in responsione idem ipsum adhibuisse Antigonam credamus, concedent, qui cum Godofredo Hermanno, Boeckhio, aliis Schaeferi conjecturam, illa de caussa pro *οὐκ ἀπαρνοῦμαι* scribendum esse censentis *οὐ καταρνοῦμαι*, superfluam ducunt. Schneidewinus Schaefero adstipulatus est, quamquam ipse adscripsit Sophoclis Ajac. Vs. 96:

κόμπος πάρεστι, κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή,

et Euripidis Electr. Vs. 1057:

καὶ νῦν γε φημὶ κοὐκ ἀπαρνοῦμαι, τέκνον.

Ac si quis dubius haerere possit, utra virorum doctorum pars verum vi-

derit in hac caussa, hoc certum est, eum, qui nostram mutationem probaverit, tutissime in librorum scriptura *οὐκ ἀπαρνοῦμαι* acquiescere posse, quam procul dubio etiam is exhibere voluit, qui in codice Laurentiano primo calami errore exaravit: *οὐ καπαρνοῦμαι.*

Brevi post Creontis iterum interrogantis verbis hisce:

καὶ δῆτ' ἐτόλμας τούσδ' ὑπερβαίνειν νόμους;

haec opponit Antigona:

οὐ γάρ τί μοι Ζεύς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη,
οἳ τούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους.

Mirum est, postremum horum versuum nulli in suspicionem venisse, quam-
vis plures, inter eosque Schneidewinus, optimo jure secuti essent Schae-
ferum, Antigonam tanquam parodia ridere Creontis verba, monentem. Tu
corrige ocius:

οὐ τούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους,

„non istas tuas leges et faciendi regulam condiderunt, sed contrariam illam, quam ego secuta sum.“

Vs. 605 sqq. Chorus monet, esse legis egressionem, si quis mortalium se opponat Jovis potentiae, nec cuiquam cogitare licere, fore ut illam superet, atque ita pergit:

τό τ' ἔπειτα καὶ τὸ μέλλον
καὶ τὸ πρὶν ἐπαρκέσει
νόμος ὅδ'· „οὐδὲν ἕρπει
θνατῶν βιότῳ πάμπολις ἐκτὸς ἄτας.“

Esse haec verba mendosa, omnes intellexerunt; emendationem tamen, quae
quidem verisimilitudinem aliquam haberet, proferre nullus valuit. Mihi
quum locus conclamatus facillimis mutationibus videatur in integrum re-
stitui posse, missis aliorum placitis, breviter, quid sentiam, exponere lice-
bit. Ego igitur verba *νόμος ὅδε* aeque atque Boeckhius ad antecedentia illa
spectare censeo, de quibus paullo supra dixi. Sequentia autem sic corri-
genda existimo: *οὐδέ γ' ἕρπει θνατῶν βιότῳ τἄμπαλιν ἐκτὸς ἄτας*, „ne-
que vero serpit id quod contrarium est (contraria cogitatio et agendi ratio)
mortalibus sine noxa.“ Particulis *οὐδέ γε* hic poeta usus est etiam in
Electr. Vs. 1347. De verbo *ἕρπει* cfr. Acris. Fragm. II (59 Dind.):

οὐδὲν ἕρπει ψεῦδος ἐς γῆρας χρόνου.

Simillimam sententiam in ipso hujus cantici fine expressam reperimus verbis:

πράσσει δ' ὀλιγοστὸν χρόνον ἐκτὸς ἄτας.

Venimus jam ad stropham tertii stasimi, qua Amor sic appellatur:

Ἔρως ἀνίκατε μάχαν,
Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις,
ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεάνιδος ἐννυχεύεις.

Horum versuum qui secundus est tot tamque diversas provocavit docto-
rum hominum conjecturas, ut fere temerarium videri possit addere novam.
Ego vero prorsus non dubito, quin vox *κτήμασιν* corrupta sit. Atqui no-

tum est, in re amatoria multum valere morsiunculas et vellicationes. Quarum, si quid video, hoc loco non sane inepta erit commemoratio. Immo egregia orietur gradatio. Primo enim versu dicet poeta, Amorem pugna vinci omnino non posse; altero, eundem vel ludendo gravissime vim suam exserere; tertio, adeo inter dormiendum potentem esse. Hac igitur via si quis insistere velit, proximum fuerit emendare: *κνήμασι.* In Xenophontis Sympos. IV, 28 vulgo scriptum legitur: *καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ ὥσπερ κνῆσμά τι ἐδόκουν ἔχειν.* At codex Parisiensis praebet: *κνῆμα.* Schneiderus vero corrigendum censebat: *κνίσμα.* Apud Sophoclem ipsum morsiuncula illa sive vellicatio amatoria appellabatur *κνισμὸς* in Salmoneo, cfr. Fragm. I, 1 (482 Dind.). Fac igitur, Sophocli potius formam *κνίσμα* quam formam *κνῆμα* esse reddendam, tamen non talis erit mutatio, quae difficilis jure appelletur.

Vs. 834 sq. Chorus Nioben et suae conditionis homines comparans ait:

ἀλλὰ θεός τοι καὶ θεογεννής,
ἡμεῖς δὲ βροτοὶ καὶ θνητογενεῖς.

Priore in versu quum vocem *θεογεννής* in mendo cubare recte censeret Schneidewinus, commemoravit Nauckii conjecturam, *θεοῦ γέννης* scribendum esse arbitrantis, ita etiam scholiastam legisse ratus, quippe qui haec adnotasset: *καίτοι θειοτέρου γένους τυγχάνουσα.* At is mihi quidem potius *θειογενὴς* prae oculis habuisse videtur; certe ita apud Sophoclem scribendum esse censeo. Favet huic conjecturae etiam id, quod Eustathius ad Homer. p. 859, 62 ex hoc loco affert *θεογενής.* Scio equidem, hanc adjectivi formationem in H. Stephani Thesauro solummodo e Gl. Sibyll. or. V, p. 602, afferri. Sed hoc nihil referre arbitror, quum praesertim nominis proprii forma *Θειογένης* juxta vulgarem *Θεαγένης* jam prioribus temporibus usurpata reperiatur, cfr. quae adnotavit Guilielmus Dindorfius in H. Stephani Thes. s. v. *Θεαγένης.*

Vs. 853 sqq. haec vulgo edita reperiuntur Chori ad Antigonam verba:

προβᾶσ' ἐπ' ἔσχατον θράσους
ὑψηλὸν ἐς Δίκας βάθρον
προσέπεσες, ὦ τέκνον, πολύ.
πατρῷον δ' ἐκτίνεις τιν' ἆθλον.

Schneidewinus contra, summo ille jure offendens in voce *πολύ*, quum optimum codicem Laurentianum primum *πολὺν* exhibere videret, huic lectioni innixus scripsit: *ποδοῖν*, „ambobus pedibus,“ h. e. violentissime. Comparavit autem loco in hanc speciem redintegrato dictionem *ἀμφοῖν ποδοῖν φεύγειν* et Aeschyleum illud *δαίμων ἄγαν βαρὺς ποδοῖν ἐνήλατο Περσικῷ γένει.* At nulla omnino mutatione opus habemus, modo verba dispertiantur ita:

προσέπεσες, ὦ τέκνον. πολὺν
πατρῷον δ' ἐκτίνεις τιν' ἆθλον.

Dicit ergo Chorus: „magnum sive gravem aliquem luendo exantlas laborem a patre in te devolutum.“

Quarti stasimi strophae alterius initium ita constituit Schneidewinus:

φιλαύλους τ' ἠρέθιζε Μούσας.
παρὰ δὲ Κυανεᾶν πελαγέων διδύμων πετρᾶν
ἀκταὶ Βοσπόριαι ἰδ' ὁ Θρῃκῶν ἄξενος
Σαλμυδησσὸς, ἵν' ἀγχίπολις Ἄρης δισσοῖσι Φινεΐδαις cett.

Merito autem quae in his nova sunt displicuerunt Georgio Curtio, qui de hoc loco egit in Ind. Schol. in Acad. Kiliensi per sem. hibern. MDCCCLV—MDCCCLVI habendarum. Plurimi libri praebent: *παρὰ δὲ Κυανέων πελαγέων πετρῶν διδυμᾶς ἁλός*, alii vocem *πετρῶν* omittunt, quam nec Scholiastes in suo exemplari repperisse videtur, in aliis contra deest vocabulum *πελαγέων*. Jam quum dubium esse non possit, quin verbum *πελαγέων* ferri nequeat, et consentaneum sit, ut substantivum illud, cui adjectum erat vocabulum *Κυανέων*, eadem notione praeditum fuisse credamus, qua *πετρῶν*, haec autem vox ipsa admittenda non sit, vero est simillimum, esse eam interpretationem rarioris alicujus vocabuli, quod casu in *πελαγέων* transierit. Sensit hoc fere etiam Georgius Curtius; sed, quum de probabili emendatione desperaret, in eo acquiescendum duxit, quod, quamquam a compluribus propositum, ferri tamen nullo pacto posse, ego iterum ajo atque contendo:

παρὰ δὲ κυανέων πελαγέων διδύμας ἁλός.

Nec profecto majus aliquid audendum erit, ut arbitrabatur Curtius, sed nihil, nisi hoc, ut vocabulum *πελαγέων* ex *σπιλάδων* ortum esse existimetur. Usurpatur autem hoc verbum imprimis de maris scopulis, quales habitas esse Symplegades, constat. Probabile est igitur, poetam scripsisse: *παρὰ δὲ κυανεᾶν σπιλάδων διδύμας ἁλὸς* cett.

Vs. 1033 sqq. Tiresiam his verbis alloquitur Creon:

ὦ πρέσβυ, πάντες ὥστε τοξόται σκοποῦ
τοξεύετ' ἀνδρὸς τοῦδε, κοὐδὲ μαντικῆς
ἄπρακτος ὑμῖν εἰμι, τῶν δ' ὑπαὶ γένους
ἐξημπόλημαι κἀκπεφόρτισμαι πάλαι.

Ad Vs. 1035 haec adscripsit Schneidewinus: »*τῶν δ' ὑπαὶ γένους*, *von Andern aber, die des Geschlechts sind.* Allein trotz der Anrede *ἄνδρες πόλεως* und des homerischen *ἀνὴρ δήμου* u. dgl. wäre der Genitiv allein zu kahl, die Wendung überhaupt auffallend, wie auch die ohne Noth gebrauchte Form *ὑπαί*. Vielleicht *τῶν δ' ὕπ' ἐν γένει*, welches aus ähnlichem Missverstande corrumpirt werden konnte, wie 674. *Οἱ ἐν γένει* = *οἱ ἐγγενεῖς*, O. R. 1016. 1430, gegenüber *τοῖς ἔξω γένους* Ant. 656. Kreon meint Ant. und Ismene nach 531 f., aber auch Hämon.« Laudandus est, quod in vulgata scriptura offendebat. Num genuinam poetae manum praestiterit, valde dubito. Conjicio autem, locum corrigendum esse ita: *τῶν δ' ὑπέγγυος* cett. Cfr. Aeschyl. Choeph. Vs. 37 sq. Well.:

Κριταί τε τῶνδ' ὀνειράτων
θέοθεν ἔλακον ὑπέγγυοι.

Vs. 1080 sqq. haec leguntur Tiresiae verba:

ἐχθραὶ δὲ πᾶσαι συνταράσσονται πόλεις

ὅσων σπαράγματ' ἢ κύνες καθήγισαν,
ἢ θῆρες ἤ τις πτηνὸς οἰωνός, φέρων
ἀνόσιον ὀσμὴν ἑστιοῦχον ἐς πόλιν.

Quorum verborum quod postremum est, jure suspectum visum quibusdam viris doctis, quibus, licet dubitanter, adstipulatus Schneidewinus, commemorata quidem sed spreta Dobraei conjectura: *ἐς σποδόν*, veram praedicavit Nauckii sententiam, *πόλον* scribendum esse arbitrantis. Addidit vero hanc interpretationem: „*zum heimathlichen Himmelsraum*, zur *πόλις* der Bewohner des Luftraums.“ Qua quis non admoneatur loci celeberrimi, qui est in Avibus Aristophanis Vs. 179 sqq.? Sed hic ipse Comici locus prohibere debebat Schneidewinum, quominus pedibus iret in sententiam Nauckii. Omnino non video, quo jure aves in numero *coeli habitatorum* reponi possint. Accedit quod verba ita construenda videntur: *ὅσων σπαράγματα — καθήγισαν ἑστιοῦχον ἐς πόλιν.* Non dubito, quin Dobraeus prope abfuerit ab eo, quod verum est. Veram autem scripturam censeo esse: *πάλην*. Cfr. Hesych.: *Πάλη· ἄλευρα καὶ σποδός*, et Eustath. ad Hom. p. 898, 7: *Πάλη κυρίως κατὰ Αἴλιον Διονύσιον λεπτότερον ἄλευρον καὶ τέφρα. Φερεκράτης Ἰπνῷ· Ἀνέπλησα τὤφθαλμὼ πάλης φυσῶν τὸ πῦρ* (Meinek. Fragm. Com. Graec. Vol. II, P. I, p. 279). In voce *ἑστιοῦχος* non erat cur haereret Schneidewinus, ut quae procul dubio eundem quem *ἐφέστιος* significatum et usum habere potuerit.

Vs. 1301 sqq. Nuncius ex aedibus haec refert de Eurydice regina:

ἥδ' ὀξύθηκτος ἥδε βωμία πέριξ
λύει κελαινὰ βλέφαρα, κωκύσασα μὲν
τοῦ πρὶν θανόντος Μεγαρέως κλεινὸν λάχος,
αὖθις δὲ τοῦδε, λοίσθιον δὲ σοὶ κακὰς
πράξεις ἐφυμνήσασα τῷ παιδοκτόνῳ.

Quamvis ego non is sim, qui impeditissimum hunc locum expedire confidam, non possum tamen facere, quin pauca quaedam adnotem. Videtur ante Vs. 1301 aliquid intercidisse. Itaque pro voce *ἥδ'*, quae legitur in initio Vs. 1301, facillima mutatione scribi potest: *ἡδ'*. In corrupta voce *πέριξ* vide an lateat: *χερί*. Fieri autem potest, ut litera *ξ* originem traxerit a litera *χ* supra scripta. Verbum *λύει* utrum genuinum sit an minus, in incerto relinquam. Facile tamen, opinor, aliquis in eam cogitationem veniat, ut arbitretur scribendum esse: *μύει*, vel melius: *κλῄει*. Cfr. Phin. Fragm. II (635 Dind.): *βλέφαρον κεκλῄται*. Posteriori hac conjectura probata, vero erit similius, literam *ξ*, quae est in fine antecedentis vocabuli, e prima verbi *κλῄει* litera *κ* ortam esse. Denique censeo, neque codicum scripturam *κλεινὸν λέχος* neque Bothii correctionem *κλεινὸν λάχος* veram esse. Diu est, ex quo sensi scribendum: *καινὸν λέχος*, „novam mortem“; eamque ipsam esse hujus poetae manum, eo magis persuasum habeo, quod eandem conjecturam factam video a Kaysero Heidelbergensi, peritissimo harum rerum arbitro.

P. P. in Academia Georgia Augusta mense Februario MDCCCLVII.

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

J. G. REICHE, Dr., h. XI—XII quinquies per hebdomadem *isagogen in N. T. libros canonicos historico-criticam* tradet; publice h. III—IV diebus Lunae et Martis *Pauli Apostoli epistolas ad Timotheum et Titum datas* explicabit; *ad societatem exegetico-dogmaticam*, *quam moderaturus est*, ineundam commilitones invitat.

FRIDERICUS EHRENFEUCHTER, Dr., publice *Seminarii regii homiletici exercitationes* moderabitur die Saturni h. X—XII, item publice *Exercitationes catecheticas* moderari perget die Saturni h. V—VI. Privatim *Theologiae practicae* partem alteram tradet, i. e. *liturgicen*, *homileticen doctrinamque* de *cura animarum* quater per hebd. dieb. Lun. Mart. Jov. et Vener. h. III—IV. *Historiam theologiae* ratione habita historiae culturae universalis inde a medio Saec. XVIII. usque ad tempora recentissima enarrabit quater p. hebd. dieb. Mart. Merc. Jov. et Vener. h. VIII—IX. *Societatem homileticam* gratis instituet.

J. A. DORNER, Dr., h. XII. quinis senisve per hebdomadem horis *Apologeticen seu Dogmatices christianae partem priorem*, praeterea *Symbolicen christianam* h. IV quaternis horis tradet; denique *Societatem theologicam* die Merc. h. VIII—X moderari perget.

J. G. LUDOVICUS DUNCKER, Dr., publice *Historiae ecclesiasticae partem tertiam* quinquies hora III—IV; privatim *Historiae ecclesiasticae partem primam* sexies tradet h. VIII—IX.

L. F. SCHOEBERLEIN, Dr., publice *exercitationes liturgicas* sodalium Seminarii practico-theologici moderabitur die Sat. h. IX—X, et una cum Hille, Mus. Dir. Acad., *cantum ecclesiasticum* eos docebit die Merc. VI—VII; privatim *Ethicen theologicam* sexies h. XI—XII tradet et publice de *hymnologia christiana* disseret dieb. Lun. et Mart. V—VI. Praeterea *Societatem dogmaticam* die Jov. VI—VIII moderari perget.

FRID. GOD. RETTIG, Dr. ph., Generalis Superintendens princip. Gotting., privatim *praecepta artis catecheticae*, duce libello suo, h. XI quater per hebdomadem tradet; publice *exercitationes catecheticas* hora commilitonibus commoda moderari perget.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

GEO. JUL. RIBBENTROP, Dr., selecta *Pandectarum* capita publice docebit quinquies per hebd. hora IV—V; scholas *exegeticas* instituet, chrestomathia usurus cum auditoribus communicanda, eosque auditorum, qui voluerint, tam in interpretando quam in respondendo ad quaestiones ipsis propositas exercebit hora XII—I.

GUIL. THEOD. KRAUT, Dr., *Jus Germanicum privatim cum jure feudorum et mercaturae jure* ex quarta libri sui: *Grundriss zu Vorlesungen über das deutsche Privatrecht — nebst beigefügten Quellen* (Gött. 1856) editione sexies per hebdomadem h. VII—VIII et IX—X tradet.

GUIL. FRANCKE, Dr., h. XI—XII *Institutiones juris Romani*, h. VIII—IX doctrinam *juris Romani de hereditatibus* explicabit.

H. A. ZACHARIAE, Dr., tradet: *Jus publicum Germaniae* sexies per hebdomadem h. XII; *Theoriam processus criminalis*, recentiorum legum, quae in Germania de reformando publicorum judiciorum ordine latae sunt, praecipue *Codicis regni Hannoverani* peculiari ratione habita, quinquies per hebd. h. X; *Encyclopaediam juris*, quater per hebd. h. IX.

H. CAROL. BRIEGLEB, Dr., h. XI—XII quater per hebd. collegium *processuale practicum*, h. X—XI ter per hebd. *relatorium* instituet.

AEMIL. HERRMANN, Dr., senis lectionibus h. X docebit *Jus criminale*, quaternis h. XI *Juris philosophiam*. Publice bis per hebdomadem *selecta juris criminalis capita* exponet.

HENRICUS THÖL, Dr., quater per hebd. *Civile practicum* instituet dd. Lunae et Jovis hora IV—V et V—VI. *Jus mercaturae* e libro suo (*das Handelsrecht, dritte Auflage*) quinquies tradet hora VII—VIII.

ORDINIS MEDICORUM.

JO. GUIL. HENR. CONRADI, Dr., publice dieb. Mercur. et Jov. h. IV. Institutiones *Therapiae generalis* ex compendio suo, privatim quater per hebd. h. IV. *Pathologiam generalem* ex VI compendii sui editione tradet.

C. F. H. MARX, Dr, h. VII—VIII praecipua et scitu dignissima capita *Historiae medicinae literariae* diebus Jovis et Veneris explicabit; h. III—IV doctrinam de *Remediorum effectibus atque usu*, *necnon artem formulas medicas concinnandi* quinquies per hebd. tradet; h. IV—V *Pathologiam et Therapiam generalem* quater per hebd. docebit.

ED. C. J. de SIEBOLD, Dr., h. VI matut. quinq. p. h. *Artis obstetriciae* doctrinam exponet simulque auditoribus aditum ad *Clinicen partusque observandos* praebebit. *Cursum operationum* cum *observation. partuum* conjunctum h. III vel aliis horis commodis instituet. *Clinicen obstetric.* h. III moderari perget. De *Puerperio ejusque morbis* publice hora VII matut. die Saturni disseret.

F. WÖHLER, Dr., h. IX—X sexies per hebd. *Chemiam* tradet. In laboratorio academico *Praxin chemicam* docebit.

A. A. BERTHOLD, Dr., *Physiologiam generalem* et *specialem* cum *Embryologia* ad Compendium suum (Lehrbuch der Physiologie für Studirende und Aerzte 3. Aufl.) h. X—XI docebit et demonstrationibus microscopicis experimentisque illustrabit. *Historiam naturalem et Zoologiam* in Museo academico h. V—VI tradet. — Siqui horis publicis III—V, quibus die *Martis* et *Veneris* Museum academicum patet, *accuratiorem explicationem speciminum zoologicorum in Museo exstantium* desiderabunt, sua officia offert. — *Exercitationes systematicas zoologicas* moderari perget.

RUDOLPHUS WAGNER, Dr., h. X—XI quinquies per hebd. duce O. Funke „Lehrbuch der Physiologie“ *Physiologiam experimentalem*, h. VIII—IX quater per hebd. *Historiam naturalem* inprimis *animalium* (i. e. Zoologiam et Biologiam) tradet. *Exercitationes practicas physiologicas* et *zootomicas* horis commodis offert.

GUIL. BAUM, Dr., publice *de ossibus fractis et luxatis* disseret die Ven. et Saturni h. II; privatim *de oculorum auriumque morbis* quater p. hebd. h. II. *Chirurgiae partem priorem* tradet quinquies hora IV et die Saturni hora III. *Exercitationes clinicas et policlinicas chirurgicas et ophthalmiatricas* in nosocomio Ernesto-Augustano diriget quotidie hora VIII—X. *Exercitationes operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum* in theatro anatomico quoties cadavera aderunt diriget h. IV vesp.

